ANGLIA QVERENS.

OXONIÆ, ex officina Typographica IOSIPHI BARNESII, *Anno Domini,* 1586.

Da Deus vt fausto regni diadema Britanni
ELISABETHA diu numine leta gerat:
Bonas amet piasque docta literas:
Æquali trutina põdera diuidens,
Penset iustitię tenore cuncta:
Fulciat sanctã pia veritatẽ:
Virtute nixa floreat:
Infestos procul arceat:
Regno strenua cœtꝰ:
Ense rebelles
Tollat iniquos:
Vitet dogmata Papæ
Fundens eius amiculos:
Acri maligna verbere
(Laxa ne detur vitijs habena)
Plectat crimina: publicę saluti
Semper prospiciat lumine prouido:
Fidelis omnis ore subditus preces
Effundat Domino nocte dieque pias,
Vtter NESTORIOS viuat fœliciter annos.

VENERABILI ET INSIGNI PIETATE ET ERVDITIONE EMINENTI VIRO, M. Georgio Summaſtero, Iuris Ciuilis Bacchalaurio, & Aulæ Lateportenſis Primario, *H.D. ſummam exoptat fœlicitatem.*

QVandoquidem apud ſeniores eoſdemque literatiſſimos homines in more poſitum ſit (*vir inter cæteros Iuris peritiſſime*) libros ſuos, cùm in lucem edant, alicuius excellentis viri tutelæ commendare, vt eius dignitate a ſeueriſſimis Lectorum vnguibus illæſi conſeruentur; par equidem eſt vt ego admodum iuuenis (qui ne cum mediocribus in re literaria verſatis vlla ex parte ſim comparandus) *Anglum* meam *Querentem* tibi tanquam optimo & eruditiſſimo Patrono, meritoque dignitatis gradu locato, mihi etiam benevolo (obſeruantiæ erga te meæ, & amoris teſtificandi gratia) dicarem: cuius tutam patrocinio omnes maleuolorum iniurias facile euaſuram confido. Tu autem fortaſſis in ancipitem quandam cogitationem deſcendes: quonam ego nixus fundamento nouum & inuſitatum hoc ſcribendi genus in me ſuſcepi. Des quæſo ve-

niam(vir inſigniſſime) & omni verborum circuitu omiſſo ſatis firmam rei ſuſceptæ rationẽ quàm breuiter oſtendam. Quum mihi iam pridem in mentẽ incidit quibus de cauſis *Roma* egreſſi, quibus modis *Aulam* ingreſſi, quibus denique inſidijs *Reginam noſtram* de improuiſo *proditores* aggreſſi erant; vix, at ne vix quidem me cohibere potui, quin, ipſa doloris impatientia langueſcens, vitalium defectu ſpirituum inopinatò cõciderem. Quum è contraria autem parte qua diuina prouidentia, at quanto cùm vitæ tum dignitatis diſcrimine ſtructas eorum fraudes euaſerat, intellexi: vires mihi paulatim ſumens, tanto repentè iucunditatis affectu permulſus geſtiebam, vt vel incredibili quadã lætitia coopertus animus plenos lachrymarum riuulos per ipſos oculorum meatus effudit. Tantũ me regię calamitatis miſeruit: Tantum mearum affectionum vis in vtramque partem præualuit. Iam verò (ne dictis meis fides derogetur, aut tanta *proditorum* impietas in obſcuro deliteſcat) *Angliam* ciuilibus vndiquaque telis obſeſſam, miſerrimum ſuijpſius infortunium deplorantem, in ſcenam produxi: vt ſcelerata illorum flagitia luce (quod aiunt) meridiana clariora fidelium ſubditorum ſenſibus oppoſita cernantur: & hi tanti ſceleris magnitudine commoti verius ingemiſcant, tam prauorum hominum ſupplicio præmoniti citius contremiſcant, & pari charitate ſimul animati *Principi patriæq;* tranquillam pacis cõditionem, ſucciſis inimicitiarum fibris, vehementer exoptent. Hoc vult communis ſocietatis conſeruandę

ſeruandæ ratio: hoc noſtrum cuiuſque officium expoſtulat. Ceterum ne diutius quàm par eſt à ſerijs tuis occupationibus te remoratum detineam, ſcriptis meis finem imponam. Satis enim mihi perſuadeo te hoc meum munuſculum boni conſulturum, eoque animo, quo tibi (candido videlicet) exhibui, gratè accepturum, & pro tua humanitate huic noſtræ induſtriæ vigilijsque benignè fauturum. Quocirca me, & operam meam tuæ curę, fidei atque protectioni committo. *Vale.*

Tuæ celebritatis,
Reginæ ſecuritatis,
& patriæ tranquillitatis
ſtudioſiſſimus,

H. D.

Prosopopœia ad Lectorem.

Ah Lector mirare meos quòd defleo casus?
Nil mirare: iubet causa dolenda nimis.
Gens inimica mihi propria quæ creuit ab aluo:
Lacte repleta meo gens inimica mihi.
Induit arma furens vt me petat impia turba:
Arma parat proprium depopulanda solum.
Quis negat ergo mihi (cum poscant fata) dolere?
Vera meam cogunt fata dolere vicem.
Ergo meos questus (fatis vrgentibus) edam:
Reddat vt attonitum nostra querela polum.
Effera prauorum me facta gemente patebunt:
Nosca vt illorum fida caterua scelus.
Sic videar miseram fletu deplangere sortem.
Torsus vt in medijs obstupefacta malis.

ANGLIA QVERENS DE CLANDESTINA PRAVORVM SVBDITORVM in patriam natiuam & Reginam de illis bene meritam perfidia.

ILLA ego quæ quondam fidis ſtipata caterua
Belligeros magno populos terrore ſubegi,
Vt tandem placida florerent omnia pace
Lætibus amotis: at nunc ciuilibus armis
Oppugnata tremo: Romæ quæ miſſus ab oris
Proditor in patriam torquendo, turbida reddat
Tempora: multum ille & flammis tentauit & enſe,
Vi comitum, iuſſu Papæ indulgentis adactus,
Multaq; perpendit ſecum dum perderet Vrbem,
Inſtrueret q; dolos terræ, quâ regnat Eliſa,
Subiectiq; pium numen reuerenter adorant.
Dic mihi confeſtim (nec longa ambage morare)
Quò trahis inuitam natorum turba parentem?
Quò rapit infrænes animos in vulnera furor?
Cur ſtruitis veſtrum miſero funere funus
O nimis ingrati charæ genitricis alumni?
Quis furor exæſtuit mentes in viſcera matris

Spicula perfidiæ dextra vibrare minaci?
Quod scelus infandum statui? quæ numina sacra
Crimine læsa meo? quæ condita iura refregi?
Quos ego perfudi pollutos strage penates?
Quid male supplicio vel dignum morte patraui,
Vt strictis ruerent in me mea pignora telis?
Quæ prægnans grauido gestaui pondera ventri:
Anxia quæ partu donaui luce gementi:
Quæ pia lactaui turgentibus edita mammis:
Quæ per chara fouens gremio (cum laxa tenellos
Passibus incertis vix dum firmauerat artus
Compages) subito defendi prouida lapsu:
Illa meam cupiant laniatum pectus aduncis
Vnguibus (vt cuculi) dentato figere rostro?
Tam capitale nefas? tam dira piacula mundo
Ausibus illuxere meis? tantumne superni
Numinis infestum patientia læsa furorem
Concepit? tantas rabies exæruit in iras?
Vt trader propriis Acteon prædа molossis?
Congrua si teneris vobis alimenta sub annis
Ætati immitis genetrix præbere negâssem;
More nouercarum rigidis si corpora flagris
Plus æquo furiosa minis (cum concita sæuit
Bilis, & internos sensus a sede remouit)
Plexissem; si membra feris eiecta cruentis
(Indignata meo prognatos sanguine fœtus
Turgenti lactare sinu) spolianda dedissem;
Si procul a patriis misissem finibus actos
Vltra Barbaricas gentes; si gutture voces
Vulnere traiecto rapuissem sanguine gaudens,

Vitales-

Vitaleſq; ſuis truncâſſem nexibus artus;
Eſſet quod meritò veſtris contunderer armis.
Vix tamen hoc cedam: proprio de ſemine natos
In proprium volitare caput, niſi fata repoſcant.
At minus vllius cum ſim mihi conſcia culpæ;
Vnde fluit noſtri fundendi ſanguinis anſa?
Nunquid inoffenſum petitis latus enſe cruento
Quod veſtro ſceleri nimis indulgere viderer?
O me ter miſeram miſerando tempore matrem?
Cur ego vos toties charis complecterer vlnis?
Cur ego degeneres materno ſemper amore
Proſequerer gnatos, in me curuentur vt enſes?
Nec mens eſt, nec velle meum mihi talia fingi.
Credideram voſmet noſtræ ſtuduiſſe ſaluti,
Membraq; decrepita multum tenuata ſenecta
Extenſo nutrire penu, truncisq; remotis
Præmunire viam facilem, ne deferar vnquam
In ſubitam (ducibus vobis) incauta ruinam.
Spes animum dederat (ſi ſors aduerſa tonaret)
Velle mei paruam veſtro conamine molem
Supportare, cadens ſaxis ne quando perirem.
Qualiter Anchiſæ (Troia flagrante) vieto
Conſuluiſſe ferunt Æneam: cuius onuſti
Suſtinuere humeri grandæui pondera patris,
Quem pius e medio vix tactum ſuſtulit igne.
Vos tamen, aduerſo gradientes calle proterui,
Diuerſum tentatis opus, pro munere vitæ
Funera, pro tuto munimine vulnera, chara
Propietate dolos ingrato more refertis.
Malo me ſterilem Latonia virgo dediſſet,

Quàm

Quàm tam monſtroſa facundam prole parentem.
Haccine pro tantis numeratis præmia donis?
Siccine compoſitum decuit diſrumpere fœdus
Pacis? & vnanimes armare in bella cohortes?
Quis docuit ſimulare fidem, blandaq; nocentes
Texere fronte dolos, & operto fallere vultu?
Pœnitet errorum quoties delicta reuoluo:
Vix perſuaſa tamen toties ignoſcere culpæ.
Vix poſſum cohibere minas, frontiſq; ſeuera
Rugoſam planare cutem, quin (vindice fato)
Impia veſtrorum cruciatu facta rependam,
Cum violenta necem (nullo releuante) reposcas
Proditio nocuas opus eſt abradere plantas,
Germina fructifica ſi creſcere fronde velimus.
Incuſat me Papa tamen modo feruidus ira,
Papicolumq; forum largo bacchatur hiatu,
Meq; trucem falſa compellat voce Tyrannum,
Tantum periuros patriæ mulctando rebelles.
Non mihi propoſitum quenquam (niſi crimine læſæ
Maieſtatis) erat violenta tradere morti.
Cur torto periit laqueo Throgmorton iniquus?
Hic quòd nobilium clades meditatus, Eliſam
Tolleret è medio, regalia denique (noſtra
Principe ſublata) transferret ſceptra Tyranno.
Quæ Sommervilum torquendi cauſa reperta eſt?
Quæ niſi proditio? cuius male percitus aſtro
Diffidens animus, ſtimulos ſubmouit acutos
Vt ſibi fatalem conſciſcat carcere mortem?
Prodyt in lucem haud longo poſt tempore Parry,
Viperia genitrice ſatus, partuq; nefandus

Enme-

Eumenidis, cuius pendebant crine colubri.
Hic (gestis cupiens ventura in secula nomen
Continuare suis) inopino perfidus ictu
Virgineum statuit ferro violare triformi
Pectus, & innocuo scelerata sanguine casa
Commaculare manus augusta virginis, audax
In facinus rueret miseranda strage potentum,
Sterneret inde viam solio mediante ruina
Plebis, & indomito subuertat cuncta furore.
Ter conatus erat Reginæ claudere funus:
Ter conata manus sceleratis destitit ausis:
Ter vestem tetigit: ter tacta veste recessit.
Sic visum est Superis latus inuiolabile telo
Conseruare: suo vibratus turpiter ictus
Successu caruit: de facto prersus aperto
Parry nefas vltro detexit morte piandum.
Cui sceleris insta conuicto lege nefandi
Truncauit mors alta caput, rogus illia sorpsit,
Pectore praciso distraxit & ensifer artus.
Hoc tamen extincto mox coniurata resurgit
Viua cohors (certo Roma transmissa necandi
Proposito) firma scelerum sociata catena.
Primus in hac fuerat Ballardus strage paranda,
Post hunc Sauagius non inferiora secutus,
Inde Babingtonus, Charnock, Barnwellus, Abington,
Bellamius, Gagius, Trauersus, & integer annis
Salsburius, Dunnus, Tichbornus sæpe recusans
Viuus adesse sacris precibus, Ionus Armiger, alius
Regale stipe Tylneius: qui mentibus omnes
Principis intentis cœdis coiêre rebelles.

Nec

Nec tamen hoc ſolum placuit, conamine magno
Certârunt, vt collectum de more Senatum
Stellata ſolito camera ſub tartara mittant:
Heroos iuuenes, generoſo ſtemmate claros,
(Quotquot forte reos prendiſſent hæreſis) alma
Diſpolient vita: ferro populentur & igne
Londinum: mixto comburant ſulphure claſſes:
Regia mortifero linant tormenta veneno:
Gallica conductis Hiſpanis agmina iuncta
Viribus inducant patrios vaſtanda penates:
Sceptrifero Mariam inſignent diademate: priſcos
Relligioſorum firment cum principe ritus:
Deniq; cuncta cito tranſforment axe reuerſo.
His Deus occurrit diuino numine captis,
In malefactores læthalia tela retorquens.
Hi licet infamem ceciderunt morte rebelles,
Non modus eſt odijs: dubius manet vndiq; terror:
Non in morte quies: cæſorum creta ſepulchro
Exijt in vulgus plus quàm furialis Erinnis,
Quæ ſenſim gradiens procerum graſſatur in aulas.
Pullulat exciſum facundo vulnere diues
Prodigiale caput Lernææ protinus Hydræ:
Exitiale vomens virus diſpargit in omnes,
Quos vel relligio doctrina vera probata,
Vel pietatis amor, vel principis anxia tangit
Cura. frequens plateas (Papa cogente tumultus)
Proditionis apex Furijs comitatus obumbrat.
Vt nocitura paret, contempta lege vagatur
Per loca ſumma fremens, tanquam ſatur eſſe cruore
Regali cupiens poſita formidine læthi.

Aſpicis

Aſpicis vt pelagi fundo iactatus ab alto
Rupibus inſultet ſpumanti verbere fluctus:
Vertice ſaxa rotans, tumidoq́ immanior æſtu,
Clinoſum reflua littus circumtonat vnda.
Cernis vt Auſtrales (denſo velut agmine facto)
Fundamenta terant violento turbine venti:
Sedibus euertunt imis radicitùs ornos:
Excelſas quatiunt turres: rapideq́ volantes
Inclinata ſuo terrent conuexa boatu.
Haud ſecus ingentes perituro fœdere turmas
Proditor aſſociat, tacite quibus effera mens eſt
Veſanas tragico moliri pectore fraudes.
Maxima pars horum placido grauis æmula regno,
Florigeram penitus gentem delere laborat.
O fera progenies! ô perfida pectora fictis
Plena dolis! genti gens inſidioſa Britannæ!
Olim fama fuit ſub ſeruicale Neronis
(Vt tener incubuit lecto) iacuiſſe draconem,
Et pepuliſſe foras infantem quot quot adîſſent,
Quæ manifeſta dedit res vitæ ſigna futuræ.
Nam cunis tandem poſitis, nucibuſq́ relictis,
Indutis trabeis, Romani deniq́ ſumptis
Faſcibus imperij, (miſerum) qua fronte ſuperbus
Inceſſit? quot ſæua malos mens obtudit auſus?
Quot ſcelera admiſit? quantas dedit vndiq́ ſtrages?
Poſthabitis reliquis (quorum meminiſſe pigeret)
Flagitijs, digito ſunt hæc mage digna notatu:
Occidi matrem iuſſit, ventremque ſecari:
Cernat vt incluſus qua quondam parte latebat.
Mœnibus appoſuit validis incendia Romæ:

Conſpi-

Conſpicienda ſuis oculis vt tecta crementur.
Hæc eadem noſtro tentârunt tempore multi
Facta mali comites, ad vulnera danda parati.
Vſqueadeo perſuaſa mihi (nec ficta reuoluo)
Quot peperi fœtus, tot me peperiſſe Nerones:
Cum totidem video nudatis enſibus hoſtes,
Vix vnum è multis ſyncero pectore gnatum.
Hei mihi, quòd tantis obiecta eſt vita periclis!
Hei mihi quòd nulli gnatorum fidere tutum eſt!
Ædibus en propriis aſſurgit lethifer anguis:
Viſceribus propriis enatus proditor extat.
Aſt Deus illæſam tetro me ſeruat ab angue:
Nec ſinit infenſo me tradat perfidus hoſti.
Sæpius aptata violaret cuſpide pectus
Proditor inſultans: at ſpes omnino fefellit:
Authorem ſceleris grauior fortuna ſequuta eſt.
Mille parabantur tollendæ principis artes:
Mille modis ſtructas patefecit cœlitus artes
Spiritus emiſſus: Regina ſoſpite noſtra.
Dum tentent Superis indicere bella Gigantes,
Erectumque ſolo caput inter ſydera condant;
Protinus arripiens quatienti fulmina dextra
Iupiter (impatiens regni conſortis) Olympi
Præcipites alto de culmine montis adegit.
Hos Deus omnipotens ſimili ratione retundit,
Viribus infirmis qui numina ſumma laceſſant,
Et nece legitimum conentur tollere Regem.
Diſcite Papicolæ quid ſit turgeſcere fuſtæ:
Natiuoq; graues ictus infligere regno?
Huius at immemores vindictæ numinis alti

(Quo

(Quò vaga mens traxit, quò dæuius impulit ardor,
Quo mare, quò ventus rapuit, quò cæca cupido
Detulit imperij) celeres abiêre phalanges
Coniuratorum (nullo discrimine) fratrum.
Nec metuêre mali casus modo cæpta secundis
Alitibus peragent, extincto lumine regni.
Corpora strauisset quot vis temeraria dextræ?
Quot iuuenum rigida cecidissent colla securi?
Quot fractos ætate senes ad bxsta tulisset
Prauorum gladius? quæ non (indygna relatu)
Crimina patrâsset violentis proditor ausis?
Vulnere parua mei quæ pars syncera fuisset,
Tanta retardâssent Superi nisi fata benigni?
His igitur laus sola manet, semperq; manebit,
Tanta quibus placuit nobis auertere fata.
Iam potes assuetas vires tibi regia virgo
Sumere: nec gelidum trepidet formidine pectus.
Qui latus hostili tutò muniuit ab ense,
Prauorum facinus Deus haud patietur inultum.
Disperiat quicunque tuo macrescit honore:
Et ferat emeritas tanto pro crimine pœnas.
Sic dubio seiuncta metu, resolutaq; luctu,
Anglia (secura te principe) læta triumphet.

Pro Rege.

CReſcat, viuat, ouet, pietas, Regina, Senatus:
Fructu, laude, bono, vera, beata, σοφίᾳ.

Pro Lege.

REx, Deus, Omnipotens, Papam, ſimulachra, rebelles:
Virga, thure, manu, deſtrue, tolle, fuga.

Pro Rege, Lege, & Grege.

NObile, ſalua, rudes, ſceptrum, reſpublica, gentes:
Stet, vigeat, plaudant, omine, pace, Deo.

FINIS.